somne, veni, venias, blandule somne, veni.

accubitum te Luciolus vocat: eia, age, somne,  
eia, age, somne, veni, noctis amice, veni.

ad cunas te Luciolus vocat: huc age, somne,  
somne, veni ad cunas, somne, age, somne, veni.

venisti, bone somne, boni pater alme soporis,  
qui curas hominum corporaque aegra levas.

### XXXI SVRGE IAM LINQVENS

(Iohannes Campanus Vodnianus Cant. cant. 14)

Surge iam linquens thalamum tepentem,  
veni, quid haeres, lux mea?  
nix fuit, fugit, gelido recessit  
hiems iniqua frigore.

terra dat flores, levis herba crescit,  
aves suaves dant sonos;  
ingemit turtur, quid ager? virescit  
fructusque promittit bonos.

grossulos ficus dedit, amputatae  
halant odorem vineae:  
surge iam iam, cara, veni, para te  
ad culta terrae floreae.

quae colis petras et amas cavernas,  
columba, provola, mea,  
nam moves cultu facieque vernas  
placesque voce mellea.

### XXXII CARMEN PASTORALE

(Nicolaus Arcensis De Sarcio pastore)

Sarcae ad litora fluminis canebat  
pastor Sarcus adpetente vere,  
dum pascit niveas suas capellas,  
et texit salice e levi quasillum:  
o pulcherrima Phylli, quid moraris?  
cur non huc ades, o venusta Phylli?

viden buxifer ut vocat Brionus,  
Lymphanusque caput nitens oliva.  
te pomaria, te vocant saliceta  
et nostri sine te greges miselli:  
o pulcherrima Phylli, quid moraris?  
iam florent siluae, nemus virescit.

Hic carpes violam et rosas rubentes,  
et texes capiti tuo corollam,  
hic inter corylos et iliceta  
captabis placidum petulca somnum,  
hic unda vitrea pedes lavabis:  
o pulcherrima Phylli, quid moraris?

### XXXIII KALENDAE MAIAE

(Georgius Buchananus)

Salvete sacris deliciis sacrae

### XXX LIED ZUM EINLULLEN

*Komm, Schlaf! Mein kleiner Lucius schmeichelt dir mit Äuglein. Komm, Schlaf, komm doch, komm schmeichelnder Schlaf!*

*Mein kleiner Lucius ruft dich zu Bette: Auf, Schlaf, auf, Schlaf, komm! Komm, Freund der Nacht!*

*Zu seiner Wiege ruft dich mein kleiner Lucius: Auf, hierher, Schlaf! Schlaf, komm zur Wiege! Schlaf, auf, Schlaf, komm!*

*Du bist gekommen, guter Schlaf, holder Vater des guten Schlummerns, du erleichterst die Sorgen der Menschen und stärkst ihre leidenden Körper.*

### XXXI AUF, VERLASSE JETZT ...

*Auf, verlasse jetzt das warme Schlafgemach! Komm, was zögerst du, mein Leben? Der Schnee ist vorbei, ist geflohen; der Winter ist dahin, der mit kaltem Frost so ungnädig war.*

*Die Erde schenkt Blumen, das leichte Gras wächst, die Vögel lassen süße Töne hören: Es seufzt die Turteltaube – und der Acker? Er wird grün und verspricht gute Früchte.*

*Der Feigenbaum hat grüne Feigen wachsen lassen; die beschnittenen Weinstöcke hauchen ihren Duft: Auf jetzt, auf jetzt, Liebe! Komm, rüste dich zum wohlbestellten Blumengarten!*

*Die du in Felsen wohnst und Höhlen liebst, meine Taube, fliege hervor! Denn geschmückt und schön, wie du bist, rührst du die Herzen der Menschen hier, und sie lieben deine honigsüße Stimme.*

### XXXII HIRTENLIED

*In Sarca am Ufer des Flusses sang zur Zeit, als der Frühling kam, ein Hirte aus Sarca, und weidete dabei seine schneeweißen Ziegen und wob ein Körbchen aus leichter Weide: "O schönste Phyllis, was weilst du? Warum kommst du nicht hierher, liebebreizende Phyllis?"*

*Siehst du, wie der Brionus dich ruft mit seinen Buchsbäumen, und der Lymphanus, dessen Haupt von Oliven schimmert? Dich rufen die Obstgärten, dich die Weidenbüsche und meine Herden, die unglücklich sind ohne dich: O schönste Phyllis, was weilst du? Schon blühen die Wälder, schon wird grün der Hain. Hier kannst du Veilchen pflücken und rote Rosen, hier kannst du deinem Kopf ein Kränzchen flechten, hier kannst du unter Haselsträuchern und Eichen sanften Schlaf finden, verbuhltes Mädchen. Hier kannst du im glasklaren Wasser die Füße waschen: O schönste Phyllis, was weilst du?"*

### XXXIII ZUM ERSTEN MAI

*Seid begrüßt, ihr Kalenden des Mai, die ihr heiligem Vergnügen geheiligt seid, dem Frohsinn und dem Wein, den Spielen und Scherzen geweiht und den zarten*

Maiae Kalendae, laetitiae et mero  
ludisque dicatae iocisque  
et teneris Charitum choreis.

salve voluptas et nitidum decus  
anni recurrrens perpetua vice  
et flos renascentis iuventae  
in senium properantis aevi.

talis beatis incubat insulis  
felicis aerae perpetuus tepor  
et nesciis campis senectae  
difficilis querulique morbi.

salve fugacis gloria saeculi,  
salve secunda digna dies nota.  
salve vetustae vitae imago  
et specimen venientis aevi.

#### XXXIV TRISTITIA

(Iohannes Campanus Vodnianus Cant. cant. 17)

In lectulo quaero meo,  
amore cuius languo.  
querorque, cordi quod meo  
carum videre non queo.

quid cesso? surgo, semitas  
percurro, qua stat civitas.  
querorque, cordi quod meo  
carum videre non queo.

vidistis inquam vos eum,  
quem deperit pectus meum?  
vos dico, quorum moenia  
haec tuta sunt custodia.

at ecce cum dicto meo,  
amore cuius languo,  
adest et ad matrem meam  
mecum venit, ne maeream.

#### XXXV AD LVNAM

(Ioannes Pascoli Liber de poetis 10)

Luna, quae vaga vertici  
montis et tacitis casis  
immines et anhelitu  
lucidos legis amnis,

te canam miseris piam,  
Luna, nam simul occidit  
Sol et aurea cum die  
Spes hinc avolat omnis,

non eam sinis exulem  
tunc abire, sed excipis  
candido trepidam sinu  
vestis, Luna, vietae;

induis trepidae tuum  
lumen, atque silentiis  
roscidis madidam tuis  
huc Spem, Luna, remittis;

facta quae leve Somnium  
clausas ingreditur domos,  
exilisque, ope qua solet,  
dormientibus adstat.

#### XXXVI AD PANNVLAM

(Paulus a Gibisce)

Tu es oculo mea domina, tuus tuus  
oculeus ego maneo dominus. tuus  
tibi pariter anima sum ego tua tua  
mihi pariter es animula mea mea

*Reigentänzen der Charitinnen.*

*Sei begrüßt, du Wollust des Jahres, du, sein strahlender Schmuck, der in ewigem Wechsel wiederkehrt, du Blüte wiedergeborener Jugend einer Zeit, die zum Greisenalter eilt.*

*So wie du ist die dauernde Wärme des glücklichen Hauches, der über den Inseln der Seligen liegt, auf den Gefilden, die nichts wissen von unfreundlichem Alter und jammernder Krankheit.*

*Sei begrüßt, du Ruhm der flüchtigen Zeit, sei begrüßt, du Tag, der das Zeichen des Glücks verdient. Sei begrüßt, du Abbild des einstigen Lebens und Muster des kommenden Äons.*

#### XXXIV TRAUER

*In meinem Bette suche ich ihn, nach dessen Liebe ich schmachte. Und ich klage, dass ich den nicht sehen kann, der meinem Herzen lieb ist. Was säume ich? Ich stehe auf, ich laufe durch die Gassen, so weit die Stadt ist.*

*Und ich klage, dass ich den nicht sehen kann, der meinem Herzen lieb ist. Habt ihr, frage ich, ihn gesehen, nach dem meine Brust sich verzehrt? Ich meine euch, deren Wächterdienst diese Mauern schirmt.*

*Aber siehe da, unter meinem Worte ist er da, nach dessen Liebe ich schmachte; und er kommt mit mir zu meiner Mutter, damit ich nicht mehr traure.*

#### XXXV AN DEN MOND

*Luna, die du auf deinem Wege über dem Gipfel des Bergs erscheinst und über verschwiegenen Hütten, die du mit deinem Atemhauch über glänzende Ströme wanderst,*

*dich will ich singen, Luna, die du fromm und treu bist den Unglücklichen: Denn sobald Sol (die Sonne) gesunken ist und zusammen mit dem goldenen Tag alle Hoffnung von hinnen flieht,*

*da lässest du sie nicht fort in die Fremde ziehen, sondern du, Luna, nimmst die Zagende in den hellen Schoß deines zerschlissenen Kleides, du kleidest die Zagende in dein Licht, und, feucht von deinem tauigen Schweigen, sendest du, Luna, die Hoffnung hierher zurück;*

*sie aber wird ein leichter Traum, tritt ein in verschlossene Häuser, die schwächliche, und steht den Schlafenden bei mit ihrer gewohnten Hilfe.*

#### XXXVI AN PANNULA

*Du bist meine augenschöne Liebste, dein augenschöner Liebster bleibe ich. Ebenso bin ich dir deine Seele, ebenso bist du mir mein Seelchen.*

*Nun, so gib mir, bitte, deine zarten, rosigen Lippen. Ich bitte dich, lass sie mich jetzt fassen, an mich ziehen, mit Lippen pressen!*

*So wirst du mein sein und ich dein. Ich werde du sein, du wirst ich sein. Reicht*

animula mea.

igitur age, precor, age cedo mi cedo  
tua tenera roseaque labia, tua  
ea rogo patere modo me avide vide  
capere rapere premere labiis meis  
premere labiis.

tu eris ita mea et ego tuus ero, ero  
ego tu ero, tu eris ego. satin erit? erit  
an et aliud age tibi superat, erat  
o oculo domina, mea anima? mea  
animula mea.

#### XXXVII AD HESPERVM (Christianus A. Klotzius)

Te, qui nequitiis furtaque mollia  
et rapta e labiis oscula flammis  
attente specularis  
blanda et murmura virginum,

supremum Veneris te genus, Hespere,  
oro, qua superas omnia sidera,  
o lucem nitidi oris  
nigris insere nubibus.

sic ne me Glycerae mellea basia  
figentem et Glyceram mellea basia  
figentem mihi, matri  
morosae timeo indices.

at limen quoties illius obsidet  
invisus Bavius, tum precor, Hespere,  
tum flamma rutilanti  
vincas omnia sidera.

#### XXXVIII MERVLA (Hermannus Weller)

En die prono pluvialis imber  
in rosas horti tiliaeque frondes  
decidit, noctis tenebras rubescens  
nuntiat aether.

arbore in summa merulae canentis  
vox sonat dulcis liquide per auras  
et coloratas avis illa nubes  
laeta tuetur.

quid, meum pectus, tremis et pavescis,  
aura si quando variat tibique  
anxio praebent inamoena maestam  
nubila noctem?

quin agis grates merulae canorae  
instar effundens geniale carmen?  
quin novo speras fore mane rursum  
cuncta serena?

#### XXXIX NASO MENTITVS EST (Iosephus Eberle str. 1-4, 6, 10)

Notum sit urbi et orbi  
Notum sit urbi et orbi:  
Naso mentitus est, Naso frustravit!  
minime valent, quae tam praedicavit,  
eius remedia morbi.

circulatoris illius  
circulatoris illius  
ecce me victimam bene curatam:  
valeo post medicinam potatam  
peius, quam valui prius.

cuncta me puto secutum  
cuncta me puto secutum,

das? Oder hast du etwa noch sonst etwas übrig, o du meine augenschöne Liebste,  
meine Seele, mein Seelchen?

#### XXXVII AN DEN ABENDSTERN

Der du auf leichtsinniges Treiben und verliebte Abenteurer, auf Küsse, die von  
feurigen Lippen geraubt werden, so aufmerksam schaust, und auf das zärtliche  
Flüstern der jungen Mädchen,  
dich, Abendstern, letzter Sprössling der Venus, bitte ich: O hülle das Licht deines  
glänzenden Gesichts, durch das du alle Sterne überstrahlst, in schwarze Wolken!  
So wie du jetzt bist, fürchte ich, dass du mich der vedrißlichen Mutter zeigst, wenn  
ich der Glycera Honigküsse gebe, wenn Glycera mir Honigküsse gibt.  
Belagert aber der verhasste Bavius ihre Schwelle, dann, bitte, Abendstern,  
überstrahle sämtliche Sterne mit deinem rötlichen Schein!

#### XXXVIII DIE AMSEL

Sieh, der Tag neigt sich, ein Regenschauer sinkt in die Rosen des Gartens und das  
Laub der Linde, errötend verkündet der Himmel das Dunkel der Nacht.  
Im höchsten Baum singt eine Amsel, ihre süße Stimme klingt hell durch die Lüfte;  
und frohgemut schaut der Vogel auf die Wolken, die sich gefärbt haben.  
Warum, mein Herz, bebst du und fürchtest dich, wenn einmal der Wind anders weht  
und das unliebsame Gewölk dir trauriges Dunkel bringt, dass du Angst hast?  
Warum sagst du nicht Dank und lässest wie die sangesfrohe Amsel ein heiteres Lied  
hören? Warum hoffst du nicht darauf, dass am nächsten Morgen wieder alles heiter  
ist?

#### XXXIX NASO HAT GELOGEN

Kundgetan sei es Stadt und Welt: Naso (Ovid) hat gelogen, Naso hat betrogen! Gar  
nichts nützen gegen die Krankheit seine Heilmittel, die er so gerühmt hat!  
Voilà, hier bin ich, dies wohlkurierte Opfer dieses Quacksalbers: Nachdem ich  
seine Medizin getrunken habe, geht es mir schlechter als vorher.  
Ich habe doch, meine ich, alles befolgt, was Naso in seinem Buche schreibt – und  
bin doch erster unter den Gefangenen der Venus, muss am meisten ihrem Wink  
erbötig sein.  
Ich sehe die hundert Schönheitsfehler, dass Teile der Dame schon nicht mehr gar  
so zart sind; ich sehe die Künste von Parfum, Schminkdose und Kamm, die  
Fältchen und das Doppelkinn.  
Umsonst habe ich ihren Anblick von mir gescheucht, umsonst habe ich mir ein  
neues Mädchen zugelegt: Die Küsse, die ich dieser Schönen gab, glaubte ich i h r  
zu geben.  
Kundgetan sei es Stadt und Welt: Naso hat gelogen, Naso hat betrogen! Durch  
seine Heilmittel, die er gerühmt hat, wächst nur die Beschwerlichkeit – und Süße

Naso quae scibit in suo libello,  
Veneris tamen captivos praecello  
maxime promptus ad nutum.

video maculas centum  
video maculas centum:  
feminae iam non pergraciles partes,  
unguinis, pyxidum, pectinis artes,  
rugas et geminum mentum.

frustra conspectum fugavi  
frustra conspectum fugavi,  
frustra me novae coniunxi puellae:  
basia, huic quae dederam bellae,  
illi me dare putavi.

notum sit urbi et orbi  
notum sit urbi et orbi:  
Naso mentitus est, Naso frustravit!  
crescit remediis, quae praedicavit,  
gravitas, suavitas morbi.

XL AMOR FOEDVS  
(C. Arrius Nurus = Harry C. Schnur)

Cytherea Venus, muliebre genus  
decoras specie, laqueos homini  
inimica paras, miserosque viros  
tu subdola pellicis omnes.

domini miserere; is concubitus  
petiit vetitos, alienam adiens  
sponsam petulanter et irreverens,  
foedo stimulatus amore.

ast illa recusat et assidue  
iuvenis reprehensabiles reicit  
digitosque manusque, neque ille potest  
castum superare pudorem.

dumque instat et urget iniquus homo,  
rogitans, minitans, tunicamque levans,  
puero mulier proba comminuit  
grandi caput illa lagoena.

XLI AVTOCINETVM  
(C. Arrius Nurus = Harry C. Schnur De 'populari' raeda,  
str. 3-5, 7)

Ibat olim omnis pedibus viator:  
non equum conscendit eques, neque ullus  
gibbere hirsuti titubans cameli  
vector abibat.

postea raedae biiuges fuere  
et rudes caros subiere tauri;  
quin et aurato residebat axe  
summa potestas.

ambulare nunc pedibus quis autem  
iam velit, quando Automedontis artem  
qui vir ignoret, regere atque currum  
docta puella?

Mercuri caducifer, o benigne  
protegas raedam faveasque amicus:  
tutus omnis nunc abeat viator  
praepete curru.

XLII FLEBILE VALE  
(Valahfridus Strotius = Wilfried Stroh Ad Uvonem H.,  
str. 1-4)

Qualis Calypso Dulichium ducem  
prospexit olim lumine languido  
praecepta dum divum secutus  
litore ab Ogygio petebat

der Krankheit.

XL SCHÄNDLICHE LIEBE

Venus von Cythera, du schmückst das weibliche Geschlecht mit Schönheit, du stellst den Menschen boshaft Fallen und verlockst voll List alle Männer, die armen.  
Erbarme dich des Herrn! Ihn hat gelüstet nach verbotenem Liebesgenuss, er ging zu einer fremden Braut, schamlos und frech, von schändlicher Liebe erregt. Sie aber weist ihn ab, und die tadelnswerten Finger und Hände des jungen Manns stößt sie immer zurück; und so kann er nicht ihre keusche Tugend überwinden. Während der böse Mensch ihr drängend zusetzt mit Bitten und Drohen und Röckchenlöffeln, da zerhaut dem Burschen die brave Frau den Kopf mit einer großen Flasche.

XLI DAS AUTO

Einst ging jeder Reisende zu Fuß; kein Reiter stieg aufs Ross, kein Passagier ritt schwankend auf dem Höcker eines struppigen Kamels davon.  
Später gab es zweispännige Kutschen, und die rohen Ochsen mussten sich vor den Karren spannen lassen. Ja es saßen sogar auf goldenem Wagen die höchsten Fürsten.  
Wer wollte aber heute noch zu Fuß gehen, wo doch jedermann die Kunst des Automedon kennt und jedes Mädchen seinen Führerschein hat?  
O Mercurius mit deinem Stab, o schütze gnädig den Wagen und hilf meinen Freunden! Mögen jetzt alle Reisenden in ihrem schnellen Auto ohne Gefahr davonfahren!

XLII LEBEWohl IN TRÄNEN

Wie einst Calypso mit schmachtendem Auge nach dem Fürsten von Dulichium ausblickte, als er getreu dem Götterbefehl von Ogygiens Gestade davonfuhr zum Heimatland – ach, war er doch gar zu kurz nur, der treulose Held, mit der Göttin vermählt gewesen, der nun Verlassenen, der feucht die Träne ihre warmen Wangen netzte,  
so dass die brechende Stimme kaum mehr mit zitterndem Ton "Lass es dir gut

terras paternas, ah nimium brevi  
infidus heros coniugio deae  
iunctus, relictæ cui rigabat  
umida gutta genas calentis,

vix 'vive felix' ut trepido sono  
vox fracta posset dicere, vix 'vale'  
heu sic fugis deflende nobis  
foedera longa piumque amorem.

cantus, Camenæ, sistite, tu chelyn  
dimitte, Apollo, plectrum et inutile!  
nunc lacrimosos maesta fletus,  
nunc gemitus Elegeia fundat.

XLIII LVDI LATINI  
(Valahfridus Strotius = Wilfried Stroh)

Ludi sunt Latini Latini,  
Latinum carmen cani- canimus:  
fecit non Rossini Rossini,  
sed laetus noster ani- animus.  
o Latinitas,  
quot et quanta das  
gaudia et carmina cum fidi- fidibus.

dicimus magistris magistris  
grammaticis ut vale- valeant,  
duris qui capistris capistris  
et os et fauces colli- colligant.  
o Latinitas eqs.

Amor nos docebit docebit  
qui regnat inter numi- numina.  
illi qui studebit studebit,  
et discet styli lumi- lumina.  
o Latinitas eqs.

bibimus frequenter frequenter  
de Bacchicis liquor- quoribus:  
verba sic decenter decenter  
ex udis fluent ori- oribus.  
o Latinitas eqs.

studia Latina Latina  
qui colit non fideli- deliter,  
ima in latrina latrina  
dispereat crudeli- deliter.  
o Latinitas eqs.

Elvaci in arce in arce  
canori olim degi- degimus.  
o Minerva, parce o parce,  
si crassiora feci- fecimus.  
o Latinitas eqs.

sumus nunc Augustae Augustae,  
quæ dicitur Vindeli- delicum:  
urbi tam venustae venustae  
hoc sonet carmen meli- melicum.  
o Latinitas eqs.

XLIV AD HONOREM VERIS  
(Neander = Jan Novák)

Iterum novum ver, etsi adhuc nivis pulver  
hiemis cadaver hic illic tegit canus,  
rubeus papaver etsi longe abest, at ver  
exhalat aether, gemmat arboris ramus.

date carmen et tus, tibiae sonet cantus,  
torrens et altus voces addat hydraulii.  
iam sanguis intus accelerat suos motus,  
sol nuper ortus gloriam refert auri.

nunc mens febrilis trepidat in lyrae filis  
et in papillis virginum. calor dulcis  
insurgit illis. sentit ver pecus vilis

gehen" sagen konnte, kaum mehr "Leb wohl": Weh, so fliehst du zu unserem  
Schmerz aus einer Liebe, die wir lang und treu gepflegt haben.  
Haltet an die Gesänge, ihr Musen, und du, Apollo, lass die Leier und das nutzlose  
Plektron! Jetzt soll traurig Frau Elegeia tränenreiche Klagen, jetzt soll sie  
Seufzerlieder singen.

XLIII JETZT SIND LVDI LATINI

Jetzt sind LVDI LATINI, wir singen ein lateinisches Lied; das hat nicht Rossini  
gemacht, sondern wir selber, bei guter Laune. O du schönes Latein, wie viele große  
Freuden und Lieder gewährst du beim Saitenspiel!  
Den Herren Philologen sagen wir von Herzen Lebewohl. Sie hemmen uns ja doch  
nur Stimme und Kehlkopf mit ihrem strengen Maulkorb. O du schönes Latein usw.  
Unser Lehrer wird Gott Amor sein, der ja unter den Göttern regiert. Wer sein  
Anhänger ist, lernt auch leicht die Stilfiguren. O du schönes Latein usw.  
Gar häufig trinken wir von dem Likör des Bacchus: da fließen aus feuchtem Mund  
die Wörter wie geschmiert. O du schönes Latein usw.  
Ja wer das Latein nicht liebt und getreulich studiert, der soll im finstersten Lokus  
jämmerlich verenden! O du schönes Latein usw.  
Früher war es das Schloss Ellwangen, wo wir mit Gesang unsere Zeit verbracht  
haben: Liebe Minerva, sei gnädig, falls die Sachen manchmal etwas holprig  
wurden. O du schönes Latein usw.  
Jetzt sind wir in Augsburg, der sogenannten Augusta Vindelicum: Für diese  
liebrende Stadt soll unser Ständchen ertönen. O du schönes Latein usw.

XLIV DEM FRÜHLING ZU EHREN

Wiederum ist der junge Frühling da, wenn auch noch hier und dort der  
Schneestaub des Winters Leichnam deckt, wenn auch der rote Mohn noch fern ist –  
aber der Äther haucht Frühling aus, es knospt der Zweig am Baum.  
Spendet Gesang und Weihrauch, es ertöne das Lied der Flöte, und ein tiefer Bach  
lasse dazu die Töne der Orgel klingen. Schon beschleunigt das Blut im Innern  
seinen Lauf; eben aufgegangen, bringt die Sonne wieder den Glanz des Goldes.  
Nun zittert fiebernd das Gemüt in den Saiten der Laute und in den Brüsten der  
jungen Mädchen. Süße Wärme steigt in ihnen auf. Das niedre Vieh fühlt den  
Frühling und der Mann, der seinen Pflug geschickt in den Furchen weidet.

et qui vir habilis pascit vomerem in sulcis.

XLV CANTICVM SONORVM XII  
(Neander = Jan Novák)

Nox erat. somnos strepitus fugarunt:  
surgite, o cives, oculis videte:  
hospites venere vehuntque pacem  
in cataphractis.

incitatas cernis apum coronas  
de favo dulci nimium timentes,  
cum rapax et mellivorax adest fur  
perditor Ursus.

iam tuas calces utinam viderem  
se auferentes hinc tua et, Urse, terga  
versa et ardentem oculos, at illos  
posteriores.

XLVI OLOR IN OLERIBVS  
(Neander = Jan Novák)

Amat Paris Helenam  
atque Dido Aeneam:  
male cessit ambobus  
hoc amoris opus.  
est multo securius  
quam hic amor improbus  
arare terram bubus  
colere aut horto olus.

o olera, olera, olera,  
sunt dura amoris funera.  
o olera, olera, olera,  
beata mens est libera.

urit amor homines  
veteres et iuvenes,  
remanet nemo sanus,  
ubi regnat Venus  
ne cadas in foveam  
hanc amoris igneam,  
oculis ne sis caecus,  
tuum cura pecus.  
o pecora, pecora, pecora,  
sunt dura amoris funera.  
o pecora, pecora, pecora,  
beata mens est libera.

XLVII ADVERSVS CVLICES  
(Neander = Jan Novák)

Culices strepitant furiosi,  
mihi somnum abigunt odiosi.  
fugit hora, duae, fugiunt tres:  
pereant, mala bestia, culices!

hominis pupugisse manus, os,  
pecus insipidum, pudeat vos!  
iaceo sed inermis et exspes:  
pereant, mala bestia, culices!

nec amore licet mala noctis  
reparare, furens sonat hostis,  
fugitat veneres quoque dulces:  
pereant, mala bestia, culices!

capitisque salute laboro,  
fer opem, bone Iuppiter, oro,  
cape fulmina, fulmine vinces:  
pereant, mala bestia, culices!

XLVIII ARIES ET ARIADNE  
(Neander = Jan Novák)

Ludunt hilariter gramine in a-

XLV DODEKAPHONISCHE ODE

*Es war Nacht. Da verjagte der Lärm den Schlaf: Steht auf, Bürger, seht es mit Augen! Unsere Freunde sind gekommen und sie bringen den Frieden in Panzern. Siehst du die aufgeregten Bienenschwärme, die gar zu sehr um ihre süßen Waben fürchten müssen, da der räuberische, honigverschlingende Dieb da ist, der vernichtende Bär.*

*O dass ich deine Fersen sehen könnte, Bär, wie sie von uns abziehen, deinen umgedrehten Rücken und deine brennenden Augen, aber die hinteren!*

XLVI DER SCHWAN IM GEMÜSE

*Paris liebt die Helena und Dido den Aeneas: Beiden ist diese Liebesgeschichte übel ausgegangen. Viel sorgloser als bei solch einer schlimmen Liebe lebt man, wenn man das Land mit Rindern pflügt oder im Garten Kohl anpflanzt.*

*O Kohl, Kohl, Kohl! Schlimm ist der Tod in der Liebe. O Kohl, Kohl, Kohl! Glückliche das Herz, das frei davon ist.*

*Die Liebesglut setzt den Menschen zu, den alten und den jungen; keiner bleibt gesund, wenn Frau Venus regiert. Damit du nicht in diese Feuergrube der Liebe fällst, damit deine Augen nicht blind werden, Sorge dich um dein Vieh!*

*O Vieh, Vieh, Vieh! Schlimm ist der Tod in der Liebe. O Vieh, Vieh, Vieh! Glückliche das Herz, das frei davon ist.*

XLVII GEGEN DIE SCHNAKEN

*Die Schnaken toben furios.  
vertreiben den Schlaf mir odios.  
So lieg ich schon Stunden im Laken:  
Zum Teufel die dämlichen Schnaken!  
Vieh, blödes! Ja schämst du dich nicht,  
zerstufst mir das Menschengesicht.*

*Ich hab keine Waffen, muss klagen:  
Zum Teufel, die dämlichen Schnaken!  
Süßt Wachen der Liebe Genuß?  
Bei d e m Radau? Alles ist Stuss.  
Hier kommt nicht mal Venus zum Tragen:  
Zum Teufel, die dämlichen Schnaken!  
Schon scheint's um mein Leben geschehn:  
Hör, Jupiter, höre mich flehn!  
Mit dem Blitze vernichte die Plagen:  
Zum Teufel die dämlichen Schnaken!*

XLVIII ARIADNE UND DER WIDDER

*Heiter spielen im sonnigen Gras, mit zarten Scherzen scherzend, der gehörnte Widder und Ariadne, das nette Mädchen. Eia, das nette!*

prico ioca iocantes tenera  
cornutus aries virgo et Ari-  
adne lepida. eia lepida.

nunc molle digitis vellus Ari-  
adne lepida mulcet, sed ani-  
mo, quantum hieme lanae fuerit  
hornae numerat, eia numerat.

at bestia ferox gestit ari-  
es et genua lascivus Ari-  
adnes petit et inter femina  
cornu tuditat. eia tuditat.

#### XLIX REGINA CORDIS (Neander = Jan Novák)

Cincta sat alte tunicam  
gressu imitatur fulicam  
atque pedum per fabricam  
me docet artem melicam:  
decantabo chordis  
reginam mei cordis,  
dicam bellam formam cruris,  
talos cantabo cum suris,  
florete dum vis  
in nervis.

cum resonat ver avibus  
et zephyrus flat tepidus,  
cantat amor sub pedibus  
eius acutis fidibus:  
decantabo chordis eqs.

sunt magis et mirifica,  
quae tegit umbra tunica,  
plectar ego sed scutica,  
lingua nisi sit modica!  
decantabo chordis eqs.

#### L IVLIA (Neander = Jan Novák)

Quando iam silent vespere omnia,  
tibia canit Iuli- Iulia.  
et mele fluunt melle dulcius  
cor mihi salit faucibus tenus.  
aureum caput, nuda brachia,  
pulchra sic canit Iuli- Iulia.  
O Iuli- Iuli- Iulia,  
nobis de amore carmina  
dic, dein tacente tibia  
mellea fer mihi basia.

laeta si canat sive tristia,  
corda commovet Iuli- Iulia.  
tinnula tremunt voce tibia  
et soni cadunt ima in ilia,  
imber ut strepens per silentia  
in rosas cadens atque lilia.  
O Iuli- Iuli- Iulia eqs.

*Num streichelt die nette Ariadne das zarte Fell mit Fingern, in ihrem Geist aber  
zählt sie, wieviel es heuer im Winter an Wolle gegeben hat. Eia, so zählt sie!  
Aber das wilde Biest, der übermütige Widder, wird lüstern, er zielt auf die Knie, er  
stößt zwischen die Beine das Horn. Eia, so stößt er!*

#### XLIX DIE KÖNIGIN DES HERZENS

*Das Röckchen hochgeschürzt, ahmt sie im Gang das Wasserhuhn nach. Und durch  
das Kunstwerk ihrer Füße lehrt sie mich die Gesangstechnik:  
Ich will mit Saiten singen die Königin meines Herzens; ich will sagen von der  
Schönheit ihrer Schenkel, die Knöchel will ich singen zusamt den Waden, solange  
mir noch Kraft in den Muskeln blüht.  
Wenn der Frühling von Vögeln tönt und lau der Zephyr weht, singt unter ihren  
Füßen die Liebe mit hohem Saitenton: Ich will mit Saiten singen usw.  
Noch wunderbarer ist, was ihr Kleid mit Schatten deckt. Aber die Peitsche soll  
mich verbleuen, wenn meine Zunge sich nicht beherrscht! Ich will mit Saiten  
singen usw.*

#### L JULIA

*Wenn am Abend schon alles schweigt, spielt Julia auf der Flöte, und süßer als  
Honig fließen die Melodien, da hüpf mir das Herz bis zur Kehle. Ihr goldener  
Kopf, ihre nackten Arme! So spielt die schöne Julia. O Juli- Juli- Julia, spiel uns  
Lieder von der Liebe! Und dann, wenn die Flöte schweigt, gib mir Küsse von  
Honig.  
Wenn sie Fröhliches spielt oder auch Trauriges, Julia geht zu Herzen. Mit hellem  
Schall tremoliert die Flöte, und tief ins Eingeweide sinken ihre Töne, wie der  
Regen niederrauscht in Rosen und in Lilien. O Juli- Juli- Julia usw.*